







LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
ACCESSION 760 f
CLASS N492



DE COMPOSITORUM A DIS (DI) INCIPIENTIUM APUD PRISCOS SCRIPTORES VI ET USU

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT


AEMILIUS NEUMANN

MEININGENSIS

IENAE

TYPIS NEUENHAHNI

MDCCCLXXXV



§ 1. Fabulas Plautinas perlegentem fugere me non potuit, verba a *de* et *di* incipientia inter se saepissime esse commutata. Qua in re etsi concedendum est permultos locos mera librariorum neglegentia corruptos facillime corrigi posse, tamen non desunt ubi magis dubites sive propter librorum testimonium sive propter sententiam. Velut Ter. Eun. 315 Bembinus *diducunt cibum* habet, *deducunt* alii codices; Plaut. Mil. gl. 74 *dinumerem* B, *denumerem* CD; Epid. 468 *dinumerantur* A ut videtur, *denumerentur* B; Men. 264 *devortitur* C, *divortitur* reliqui. Quod cum ita sit, non inutile esse existimavi priscorum scriptorum locos congerere et quid de singulis statuendum sit exponere. Proficiscar a veterum grammaticorum testimoniis, ex quibus gravissima quaeque componam.

Priscianus Gr. l. III p. 56 haec habet: (Praepositiones) *sunt quae numquam apponuntur, ut di, dis, re, se, am, con. haec enim sex semper in compositione inveniuntur. quas, quamvis cum per se poni non possunt separatae in contextu orationis ideoque partes orationis dici vera ratione non possunt, tamen quia vim et significantiam habent praepositionum et in ipsa compositione semper praepositivae sunt, ideo praepositionibus connumeraverunt.* [1]) — Idem III, 56: *Et di quidem et dis eandem significationem habent, quomodo ab et abs. sunt autem separativae ut divido, diduco; distraho, discurro, quod apud Graecos διά praepositio facit. et sciendum quod tunc dis praeponitur, quando sequitur c vel f vel p vel s vel t vel i loco consonantis, ut discumbo, discutio; differo, diffido, diffundo; in quibus s in f convertitur euphoniae causa; displiceo, disputo, disperdo; dis-*

1) Cf. Gr. l. III 298; 29.

sicio, dissero; distraho, disturbo, distorqueo; disiectus, disiungo. aliis vero quibuscumque consonantibus sequentibus di praeponitur; dimitto, diruo, diduco, digero, diluo. et ubique prod ucitur di, excepto dirimo et disertus. — Velius Longus Gr. l. VII 64: *At in praepositione de minimum est observationis, quantum ad orthographiam, non quod ad significationem pertinet. plena enim in compositionibus ponitur ut deducere ... nam si quando e in i litteram transit, ab alia praepositione originem ducit. cum enim dicimus dimovit, ut est dimovit obstantes propinquos, et tua terris didita fama, iam non est a de praepositione sed dis, et unitatem quandam complectitur vocis .... quatenus incidimus in mentionem praepositionis dis, adnotabimus et illam plenam praescribi ceteris, nisi his partibus orationis quae incipiunt a littera m, ut dimovit, aut n, ut dinoscit, aut l, ut diluit, aut b, ut dibucinat, aut g, ut digerit, aut si a d littera incipit ut diditus quomodo Vergilius 'tua terris didita fama' aut in f litteram transire, si ab hac eadem sequens vox incipiat ut diffudit.* — Cassiodorius Gr. l. VII p. 163: *Dis praepositio s sequente litteram s non amittit ut disspicio; sequentibus vero b, d, g, l, m, n, r amittit ut dibucinat, diducit, digerit, dilacerat, dimovet, dinoscit diripit (interdum s littera sequente r in eandem litteram mutatur, ut dirrumpo); sequente f nostra consuetudine in eandem mutat litteram ut diffundo.* — Idem Gr. l. VII p. 205: *disspicio verbum .... per duo .... s scribendum est, non per unum, quoniam ex praepositione et verbo constat esse compositum quemadmodum et conspicio, aspicio, despicio; ac per hoc per duo s disspici scribi debet et ita dividi, dis et spicio. nonnulli vero dispicio per unum s scribendum putant, quod praepositio interdum litteram perdat, ut est diduco, divido, diiudico. sed melius est per duo s scribi disspicio.* — Donatus Gr. l. IV p. 366: *quae praepositiones sunt, quae dictionibus serviunt et separari non possunt? Di, dis, re, se, am, con. Quomodo? Dicimus enim diduco distraho.* Cf. Sergius expl. in Don. prior. (Anecd. Helv.) p. 158: *sunt aliae sex praepositiones, quae*

numquam segregantur ab aliis partibus orationis neque separari possunt, ut di, dis, re, se, am, con. — Charisius Gr. l. I p. 198: *Dis pro valde. Plautus in Bacchidibus .....* — Caper Gr. l. VII 97: *Demitte est deorsum mitte, dimitte, ἀπόλυσον, absolve. dismitte non dicas.* — Albinus Gr. l. VII, 360: *Di quidem et dis separativae sunt, et eandem significationem habent, quae modo ab et abs, ut divido, distraho, et dis componitur, quando sequitur c, f, p, s, t et i loco consonantis, sin f mutata euphoniae causa, in aliis consonantibus di praeponitur et ubique di producitur praeter dirimo, disertus.* — Gramm. lat. VI. 626: *sunt syllabae quae inprimis sonum longum demonstrant, et breves sunt, ut disertus, diremptus, direxit.*

Haec sunt testimonia grammaticorum veterum, quibus, quantum tribuendum sit, in singulis verbis tractandis facile apparebit. In universum ex locis priscorum scriptorum infra tractandis hoc constare videtur: *Dis* praeponitur verbis incipientibus 1) per c: *discedere, disceptator, discerniculum, discerpere, discertare (?), discessio, disconducit, discordabilis, discordare, discors, discorditas, discordia, discrepare, discrimen, discruciari, discumbere, discupere, discutere;* 2) per p: *dispalescere, dispandere, dispar, disparare, dispensare, dispendium, dispensator, dispercutere, dispergere, disperdere, disperire, dispertire, displicere, disponere, dispudet, dispulverare, disputare;* 3) per t: *distabescere, distaedet, distendere, disterere, distinere, distorquere, distrahere, distractis, distribuere, distruncare, disturbare;* 4) per h: *dishiascere;* 5) per s sequente vocali: *disserere, dissentire, dissensio, dissignare, dissignator, dissimilis, dissimulare, dissipare, dissociare, dissolvere, dissuadere;* 6) per s sequente s littera[1]: *discidium, discindere, discribere, dispicere, dispoliare, distinguere, distringere;* 7) sequente f, ubi assimilatio est: *diffatigor, differre, difficilis, difficultas, diffidere, difflare, diffluere, diffringere, diffundere, diffunditare.* Contra *di*

1) *Discindere* est *dis* et *scindere; cf. exstare* et *extare.*

forma his in verbis exstat: *diducere, diductius, dignoscere, digredi, dilabi, dilapidare, dilatare, dilidere, diligere, diligens, indiligens, diligenter, diligentia, dilibuere, dilucide, diluculum, diludere*(?), *diluere, dimidiatus, dimidius, dimidia, dimidium, diminuere, dimittere, dinumerare (?), diripere, diruere, diversorius (?), diversus, diverticulum (?), divertere (?), divexare, divaricare, dividia, dividere, dividius, dividuus, divortium.* I loco consonantis sequente lex dari non potest: *disiungere* et *diiungere, disiudicare* et *diiudicare* legimus. Similiter fluctuant *didere (disdidi), dimovere (dismota), dirumpere (disrumpere, dirrumpere).* Syllabam *dis* semper brevem esse constat; item constat *di* semper longam esse; *disertus, dirimo* confirmare legem facile apparebit.

De nonnullis vocabulis dubitari potest, ut de illo *dierectus* quemadmodum origo sit explicanda. Festus Pauli: *dierectum,* inquit, *dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem, quasi sit a dies et rectus* (p. 69), de quo non habeo quod amplius agam. Nonius: *dierecti,* inquit, *dicti crucifixi, quasi ad diem erecti* (p. 49). Salmasius ad Graecum διαρρηκτὸς confugit, alii quasi *sub dio erectos* esse *dierectos* statuebant. Rostius ex *dirigo* et *erigo* ducebat, quasi *dierigo, dierectus* (cf. Opusc Plaut.), alii alia commenti sunt. Ipse nil de hac re adfirmare audeo. Cf. Nettleship Journ. of Phil. 1882, p. 104. — *Diminuere.* Nonnullis locis verbum *diminuendi* per duo *m* scriptum invenimus (Men. 304 et Ad. 571). Hanc scripturam reiciendam esse puto propter testimoniorum penuriam. *Dimovere, dimittere* nusquam per duo *m* scriptae inveniuntur. — *Diribere, dirimere* ex *dis* et *habere (emere)* nata. *Disertus* eodem modo explicandum est. Neque enim a *disserendo* duco hanc vocem cum Georgesio aliisque et vetustis et recentibus grammaticis, verum cum Pottio [1]), Buggio [2]), Meyero [3]) a *dis* et *artus.* Cf. *ars, iners.* Idem videtur usus

1) Etym. Forschungen I, 732. 2) Fleckeiseni Annal. a. 1872 p. 95. 3) Vergl. Gramm. p. 673.

huius vocabuli notissimus commendare. Cf. Cic. de Orat. I, 21.

§ 2. *Dis* vel *di* praepositio propriam habet vim, ut in omnibus verbis, quibuscum sit coniuncta, separationem indicet: significat, unam rem in diversas partes dividi, partes huc et illuc poni, plura fieri ex uno. Primo motus quidam ubique est cogitandus, ut exempli gratia ex verbis *didendi, distrahendi, diripiendi* videmus. Ab illa vi in diversas partes dividendi divisionem in unam tantum partem esse ductam nos docent exempli gratia verba *discedendi, digrediendi, distinguendi.* Omissa, ut obiter intuenti videatur, motus notione *dis* praepositio rationem quandam augendi adfert: i. e. verbis quibuscum coniungitur, vim addit, quae sententiam augeat atque cumulet. Sed talem vim in iis tantum verbis, quae affectum quendam indicant, invenimus, qui per totum corpus diffusus hominem quasi dissolvit. Exempla sunt *discruciare, dispudet, distaedet.* Denique vim quandam negandi vel minuendi habet. Perspicuum est, hanc vim a notione separandi esse ducendam: quod abest a *facili,* id est *difficile;* ita vis quaedam negandi nascitur. — Haec in universum de praepositionis *dis* significatione volui praemonere, quam rem in tractandis singulis verbis accuratius explicare conabor.

Initium fiat a verbis quibus tantum non semper inest vis in diversas partes dividendi. *dibalare.* Caecil. 249: *Tantam rem dibalare, ut pro nilo habuerit.* Propria vis hoc loco optime elucet; verbum idem significat, ac secretum balando, i. e. garriendo differre et divulgare. — *Didere* est *huc illuc dare.* Qua ex significatione postea similis oritur vis, quae inest verbis *spargendi, distribuendi:* Caecil. 239: *dide ac dissice. Per me licebit.* — Caton. Fragm. Orat. Rel. II, 17: *numquam ego argentum pro vino congiario inter apparitores atque amicos meos disdidi;* Plaut. Merc. Prol. 58: *Amoris vi diffunditari ac didier* (cum Gronovio); Plaut. Mil. gl. 707 Mauritius Haupt recte lectionem *didam* restituere vult. A

Ritschelio ita versus scribitur: *Nam mea bona meis cognatis dicam, inter eos partiam.* Haupt versum male traditum ita concinnat: *bona mea in morti cognatis didam, inter eos partiam,* dicens, verbum *dicendi* alienum esse. Idem illud *didam* Haupt restituit Plaut. Pers. 757: *Nunc ob eam rem inter participes didam praedam et participabo,* vix, ut opinor, recte. — *Dierectus.* Merc. 756: *Abin dierctus?* 183: *Quin abi hinc dierectus;* Poen. 160: *Abin dierectus?* Capt. 636: *i dierectum, cor meum, ac suspende te.* Bacch. 579: *Recedin hinc dierecte?* 347: *i dierecte in maxumam malam crucem.* Trin. 457: *Abin hinc dierecte?* Rud. 1170: *quin dierecta i cum sucula et cum porculis.* Cas. I 1, 15: *Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam;* Most. 8: *Abi rus, abi hinc dierecte, abscede ab ianua;* 850: *Abi hinc dierecte, abin hinc in malam crucem?* Ad partes corporis vel ad res transfertur *dierectus* Curc. 240: *Lien dierectust* et Men. 442: *ducit lembum iam dierectum navis praedatoria.* — *differre* est huc illuc ferre, in diversas partes ferre. Enn. trag. 105: *alia fluctus differt, dissupat;* Plaut. Trin. 832: *sat scio, in alto Distraxissent disque tulissent satellites tui miserum foede.* Notanda tmesis, ut apud Lucr. I. 45: *disque sipatis.* Sequuntur exempla non dissimilia: Trin. 689: *ne mi hanc famam differant;* Ter. Heaut. Prol. 16: *nam quod rumores distulerunt malivoli.* Lucil. sat. XXX, 24: *Gaudes cum de me ista foris sermonibus differs.* Denique Plaut. Curc. 576: *ego te faciam ut hic formicae frustillatim differant.* Alia exempla metaphoricam quandam vim ostendunt: 1. Cist. II 1, 5: *examinor, feror, differor, distrahor, diripior;* Poen. 156: *differor cupidine eius;* Mil. gl. 1163: *Nempe ut adsimulem me amore istius differri?* — Turpil. 109: *desiderio differor.* Huc fortasse spectat Epid. 118: *clamore diffatigor, differor,* nisi rectius ad alterum genus refertur, quod nunc tractabo. 2. Plaut. Aulul. 446: *hic pipulo te differam ante aedes;* Pseud. 358: *iam ego te differam dictis meis;* Ter. Andr. 408: *orationem sperat invenisse se Qui differat te;* Caec. 109: *differar*

sermone misere; Att. 459: *Qui erit qui non me ... sermone indecorans turpi fama differat;* Luc. XXX 35: *me maledicendo in volgi sermonibus differs.* Plaut. Truc. 606: *ita ut pauxillum differam te caulibus* (ita Schoell). Restant alius significationis pauca exempla: Rud. 368: *nos cum scapha tempestas dextrovorsum differt ab illis;* Publil. Sent. 26 R.: *omnes vitam differentes mors incerta praevenit,* ubi non tam dividendi quam separandi vis exstat. Vim intransitivam hoc loco repperi: Lucil. Sat. XXVII 17: *tamen aut verruca aut cicatrix naevis papulae differunt.* — *difflare,* flando dissipare. Plaut. Mil. gl. 17: *quoius tu legiones difflavisti spiritu;* Lucil. XXVI 73: *pars difflatur vento, pars autem obrigescit frigore.* — *diffunditare,* in diversas partes fundere, prodigere. Plaut. Merc. 58: *amoris vi diffunditari ac didier.* — *dignoscere,* notis discretis aliquid noscere. Publil. Sent. 661 R: *dominari ex parte dignoscitur, cui superior supplicare videtur.* — *diiudicare,* duas vel plures res diversas iudicando discernere. Ter. Heautont. 504: *ita comparatam esse hominum naturam omnium, Aliena ut melius videant et diiudicent Quam sua;* 237: *pergin istuc prius diiudicare quam scis quid veri siet;* Plaut. Amph. 676: *quam omnium Thebis vir unam esse optimam diiudicat;* Fragm. Vidul IV (Studem.): *donicum haec diiudicata res erit.* — *dilabi,* in diversas partes fluere, diffluere, dissipari. Naev. trag. 54: *Male parta male dilabuntur.* — *dilapidare,* lapides huc illuc dare, translate dissipare, prodigere. Com. fragm. Pall. inc. 55: *cur rem dilapidas quam miser exstruxit labor?* Ter. Phorm. 897: *prius quam dilapidat nostras triginta minas.* — *dilargiri,* in omnes partes largiri. Caton. fragm. orat. Rel. II 6: *numquam ego pecuniam neque meam neque sociorum per ambitionem dilargitus sum.* — *dilatare.* Laber. 44: *idcirco ope nostra dilatatum est dominium Togatae gentis.* [1]) — *diligere* proprie est dividere, ut apud Titinium v. 84 *pernam totam*

1) Adde: *dilidere.* Poen. 494: *dilidam caput.*

diligit[2]); deinde ex multis unum eligere et amore benevolentiaque prosequi. Turpil. 85: *meres merito ut diligare;* Plaut. Bacch. 816: *quem di diligunt;* Ter. Phorm. 854: *Nam sine controversia ab dis solus diligere, Antipho.* Reliquas huius verbi formas, versuum numeris tantum ascriptis afferam: *diligunt,* Ter. Adelph. 873, Publ. Syr. Sent. 625; *diligam,* Plaut. Amph. 509; *diligas,* Publ. Syr. Sent. 557; *diligat,* Luc. Sat. VII, 7; *diligant,* Ter. Andr. 973; *dilexi,* Andr. 292; *dilexit,* Plaut. Men. Prol. 41; *dilectum,* Plaut. Rud. 1279, Luc. Sat. XIV, 5; *dilecti,* Enn. trag. 209; *dilectos,* Enn. Annal. Rel. 337; Corp. Inscr. Lat. I, 1007: *Claudiam Suom mareitum corde deilexit* et I, 1306: *aeque extremo tempore Decoravit eam monumento, quam deilexserat,* formas memoratu dignas *deilexit* et *deilexserat* habemus. Participium *diligens* est, quia qui diligit, amans, studiosus, dein accuratus, sedulus, quia qui diligit libenter curam impendit. Etiam hoc loco, quoniam usus per se planus est, numeros tantum afferam: *diligens,* Plaut. Amph. 630; *diligentem,* Amph. 973; *indiligens,* Plaut. Most. 105, Bacch. 201, Ter. Adelph. 684; *diligenter,* Plaut. Capt. 226, Men. 968, Ter. Eun. 207, 339, 500, 505, Hec. 257, Caton. d. r. r. V, 1 V, 7 XXX, 2, XLV, 1, LXI, 2, LXVI, LXVII, CXLIII, 3; *indiligenter,* Plaut. Mil. gl. 28, Ter. Phor. 788; *diligentius,* Caton. d. r. r. LII, 1, CXXX, 2, Attius, 598; *diligentissime,* Caton. d. r. r. 66. — *diligentia,* vocabulum differt a cura et ab opera, quod diligentia et ad animum et ad corpus refertur, cura tantum ad animum, opera ad corpus. diligentia eius est, qui sponte et cum amore aliquid facit. Legitur vocabulum: Ter. Andr. Prol. 21: *Quorum aemulari exoptat neglegentiam | Potius quam istorum obscuram diligentiam;* hoc loco in malam partem *diligentia* est sumpta; Hec. 263: *Laches, et diligentiam vestram et benignitatem | Novi et quae dicis omnia esse ut dicis animum induco;* hic *diligentia* prope vim *amoris* accedit. Idem fere est quod cura, providentia Plaut. Capt. 115: *Si-*

2) Idem defendit in Curc. v. 424, ubi Nonius *diligit,* Festus ut vid. *dirigit* legunt, Nettleship l. s. s.

nito ambulare, si foris, si intus volent: Set uti adserventur magna diligentia; Rud. 820: *Curate haec sultis magna diligentia.* Denique similem sensum atque *industria* vocabulum praebet Publ. Syr. Sent. 349: *Mora cogitationis diligentia.* — *dilucide,* in omnes partes lucide, aperte, plane. Ter. Phorm. 399: *dilucide expedivi quibus me oportuit Iudicibus;* Pompon. 161: *Quid nunc vis fieri? verrem sume dapsile ac dilucide.* — *Diluculum,* lux quae oriens in omnes partes funditur. Plaut. Amphitr. 737: *Primulo diluculo abiisti ad legiones*; 743: *abii hinc hodie cum diluculo;* Afran. 70: *advenisti ... diluculo.* — *dimidiatus,* participium verbi dimidiandi, est in duas partes aequales divisus. Nonnumquam cum verbo *dimidius* confunditur, tamen verba sunt discernenda: *dimidiatus* dicitur de re in duas partes divisa, *dimidius* de altera parte rei ipsius bifariam divisae. *Dimidiatum* ergo nisi ipsum quod divisum est dici haud convenit, dimidium vero est, non quod ipsum est dimidiatum, sed quae ex dimidiato pars est altera. Legimus vocabulum: Enn. Annal. Rel. 526: *Sicut siquis ferat vas vini dimidiatum;* Lucil. Sat. inc. 78: *quidnei? scruta quidem ut vendat scrutariu' laudat praefractam strigilim, soleam improbu' dimidiatam;* Sat. VI, 13: *uno oculo pedibusque duobus dimidiateis, ut porcus;* Plaut. Mil. gl. 762: *neminem eorum haec adseverare audias, Set procellunt sese in mensam, dimidiati dum appetunt;* valde est hoc loco *dimidiati* suspectum; Caton. d. r. r. 151,3: *eo cribro terram incernito, dimidiatum digitum terram altam succernito:* d. r. r. 37: *lunaque dimidiata;* Orat. Rel. XXXVII, 3: *Homines defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt;* Plaut. Men. 157: *dies quidem iam ad umbilicum dimidiatus mortuost.* — *dimidius* exstat Plaut. Aul. 767: *I, refer: dimidiam tecum potius partem dividam;* Rud. 1123: *Dudum dimidiam petebas partem. immo etiam nunc peto;* Curc. 447: *Dimidiam partem nationum usque omnium, Subegit solus intra viginti dies;* Caton. d. r. r. 29: *partem dimidiam in segetem,*

ubi pabulum seras, invehito; Corp. Inscr. Lat. I, 206,30, in lege Iulia Municipali: *eius viae partem dimidiam is aed. tuendum locato;* I, 1061: *pro parte dimidia socia;* Saepissime cum vocabulum *dimidium* inveniamus, etiam hoc loco, versus tantum adscribam: Corp. Inscr. Lat. I, 206,43; Plaut. Amph. 1125, Aul. 291, 293, Bacch. 321, 1185, Pers. 69, Rud. 958, 960, 1409, Pseud. 454, 1164, 1328, Truc. 748; Ter. Phor. 594, Adelph. 370; Caton. d. r. r. XXIV, XCVIII, 1, CVII, 2, CL, 1, Fragm. Orig. V, 5; Afran. 156, Publ. Syr. Sent. 282; *dimidio* exstat Plaut. Asin. 441, Rud. 1410; Caton. d. r. r. 36; Luc. Sat. XX, 13: *tempestate sua atque eodem uno tempore et horai dimidio et tribu' confectis dum taxat eandem At quartam.* Hunc ad versum referenda sunt, quae Gellius n. a. III, 14, 11 adnotat: *iam in vicesimo manifestius dimidiam horam dicere studiose fugit (Lucilius), sed pro dimidia dimidium ponit in hisce versibus ... nam cum obvium proximumque esset dicere dimidia et tribus confectis, vigilate atque attente verbum non probum vitavit.* — *Dirigere.* Cat. fragm. Orig. inc. lib. I: *ne praedia in lubricum dirigerentur.* Plautum *dirigere* dixisse Festus Pauli p. 69 auctor est. Fortasse Curc. v. 424 respexit: cf. Nettleship Journ. of Phil. a. 1882 p. 104. — *dirimere.* Verbum dici de rebus coniunctis in unum, sed in diversas partes solutis iam Wunderus (Var. lect. ex cod. Erfurt.) docuit: Quoniam autem, si rem in partes solvas, etiam vim, quippe quae plerumque in partium coniunctione potissimum consistat, necessario tollas, evenit, ut dirimere omnino tollere aliquid, irritum facere, disturbare, interrumpere significet'. Hanc vim verbo inesse Plaut. Amph. 255 nos docet: *Sed praelium id tandem diremit nox interventu suo.* Fere in significationem verbi *frangendi* transit Luc. Sat. inc. 106: *vasa quoque omnino dirimit.* — *non sollo dupundi.* — *dirumpere,* in diversas partes rumpere. Verbum in aliis codicibus aliam prae se fert scripturam: habemus *dirumpere, disrumpere, dirrumpere* (littera s in r mutata: cf. p. 4).

Certa lex hodie dari non potest: in fabulis Plautinis et *dirumpere* et *disrumpere* et *dirrumpere,* in Terentianis et in Saturis Lucilii *disrumpere* formae traditae sunt. Fortasse etiam in fabulis Plautinis a principio ubique *disrumpere* exstitit, sed ex iis, quae supersunt, probari hoc non potest. Legimus verbum Plaut. Bacch. 441: *extemplo puer paedagogo tabula disrumpit caput* (B *disrumpit,* C D *dirrumpit,* F Z *dirumpit);* Luc. Sat. XX, 5 et 6: *iam disrumpetur medius ,iam ut Marsu' colubras, disrumpit cantu, venas cum extenderit omnis;* Plaut. Cas. IV, 3, 10: *perii hercle ego miser, dirupi, Cantando hymenaeum: licet illo morbo, quo dirumpi cupio: (dirupi* A solus, ceteri *dirumpi,* nisi quod P *disrumpi);* Curc. 222: *Geminos in ventre habere videor filios. Nil metuo nisi me medius disrumpar miser;* Ter. Adelph. 369: *Mihi, qui id dedissem consilium, egit gratias. Disrumpor. argentum adnumeravit ilico; Disrumpor:* invidia in omnes partes rumpor; Plaut. Bacch. 603: *„Sufflatus ille huc veniet. dirrumptum velim* (B C D *dirrumptum,* F Z *diruptum. dirrumptum* scriptura melius est tradita, quam ut reiici possit; cf. *corruptum);* Cas. II, 5, 18: *Edepol ne ego illam mediam diruptam velim.* — *diruere;* in diversas partes vertere. Ter. Adelph. 908: *Atque hanc in horto maceriam iube dirui | Quantum potest;* 916: *Syre, cessas ire ac facere? Quid ego? Dirue.* — *disceptator,* qui de re, de qua disceptatur, sententiam fert; disceptare a *dis* et *captare,* quia utraque contendentium pars ad sui defensionem aliquid captat. (Vossius.); Plaut. Most. 1137: *Nunc utrisque disceptator eccum adest: age disputa.* — *discerniculum.* conferenda sunt, quae Nonius p. 35, 29 hanc ad vocem adnotat: *dictum a discernendo; acus est, quae capillos mulierum ante frontem dividit;* Luc. Sat. XXX, 58: *euplocamo digitis discerniculumque capillo.* — *discerpere,* in diversas partes carpere. Luc. Sat. X, 10: *ne! quem in arce bovem discerpsi! -magnifice inquit;* Attius 543: *cui potestas si detur, tua Cupienter malis membra discerpat suis;* Enn. Annal. Rel. 434: *sed nec pote quisquam*

Undique nitendo corpus discerpere ferro. — *discertare;* verbum in libris priscorum scriptorum non exstat, nisi Plaut. Men. 809: *Dic mi istuc, Menaechme, quod vos discertatis, ut sciam;* DF *discertatis,* BC *dissertatis,* Z *desertatis* exhibent. *Discertare* esset in utramque partem disputare. Eandem vim etiam verbum *dissertandi* praebet. Ritschelius loco Plautino *discertare,* ceteri editores *dissertare* in contextum receperunt. Hos ego sequi malim, primum quod codices melioris auctoritatis *dissertare* praebent, dein quod verbum *discertandi* aliis locis me legere non memini. Verbum *dissertandi* etiam apud. Caton. Orat. Rel. 40,6 exstat: *Quid ego cum illo dissertem amplius?* Accedit vox *edissertandi.* — *discessio* (cf. *discedere*), actus discedendi, dein divortium. Ter. Andr. 568: *Nempe incommoditas denique huc omnis redit, Si eveniat, quod di prohibeant discessio.* — *discidium* derivatur a verbo discindendi. Saepe commutatum est cum vocabulo *dissidium.* Plerique grammaticorum docuerunt, duo esse latina vocabula, *discidium* et *dissidium,* quorum illud a verbo *discindendi* ductum, quod de graviore vi externa ponatur corporum et quasi corporum separationem significet et omnino disiunctionem, velut hominum matrimonio coniunctorum, hoc a dissidendo animorum quendam separationem. Madvigius[35]) argumentis probavit, nullum esse latinum vocabulum *dissidium,* id autem, quod sit *discidium,* ita late patere, ut non solum ad eorum separationem, qui in diversa loca distrahantur, pertineat, sed ad omnis, quorum coniunctio etiam animorum vinclo astricta, prorsus tollatur et in inimicitias convertatur. Legimus vocabulum apud Plaut. Mil. gl. 651: *Neque per vinum unquam ex me exoritur discidium in convivio;* Pseud. 70: *Harum mihi voluptatum omnium atque itidem tibi Distractio, discidium, vastities venit;* Ter. Andr. 697: *Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores: valeant Qui inter nos discidium volunt;* Hec. 476: *neque mea culpa hoc*

---

35) Cic. d. fin. Exc. II, 812.

discidium evenisse, id testor deos; 782: *Profecto in hac re nihil malist, quod sit discidio dignum;* Attius 161: *Cur vetera tam ex alto appetissis discidia, Agamemno?* 347: *discidia amantem scindere Turbat vulgum, evitat, moeros disicit; discidia amantem* Buechelerus coniecit, libri exhibent *diffidam autem.* — *discindere,* in diversas partes scindere. Ter. Eun. 646: *Vestem omnem miserae discidit, tum ipsam capillo conscidit;* Adelph. 120: *Fores effregit: restituentur; discidit Vestem: resarcietur, et ... dis gratia;* 559: *Usque occidit. hem, quid narras? Em vide ut discidit labrum;* Plaut. Mil. gl. 1395: *Facite inter terram atque caelum, uti siet: discindite* (B *descendite* verbum quod sensum non praebet. Scaliger sane v. 1047 respiciens, *dispendite* vel *distendite*: nescio an vere); Caton. d. r. r. XL, 2: *sumito tibi surculum durum, eum praeacuito, salicem graecam discindito;* Fragm. Mem. dict. 70: *tales igitur amicitiae sunt remissione usus diluendae et ut Catonem dicere audivi, dissuendae magis, quam discindendae.* Hoc loco verbum translate usurpatur, opponitur verbo *dissuendi:* hoc est paulatim aliquid solvere, illud alicui rei vi subitum finem facere. — *discordis;* Pompon. 164: *Blanda fallax superba, impotens Discordis.* idem ac *discors* est. — *discordabilis.* Plaut. Capt. 402: .... *Nos fuisse ingenio hau discordabili.* Similem sententiam etiam vocabula *discordia, discorditas, discordare* praebent: *discordia* Plaut. Truc. 420: *Habebo ab illo, facile invenio quo modo Discordiam et divortium inter nos parem;* eadem vi *discordiam* Ter. Hec. 693; Atta 21; *discordia* Caton. Fragm. Orat. Rel. VI, 2; Publ. Syr. Sent. 131; *discordiae* Attius 587. — *discorditas* uno loco pro discordia usurpatur, Pacuv. 178: *Quantamque ex discordidate cladem importem familiae.* — *discordare;* Plaut. Merc. 231: *Ei ne noceret, quam domi ante habui capram Neu discordarent si ambae in uno essent loco;* Ter. Andr. 575: *Set quid ais? quid? qui scis eos nunc discordare inter se?* — *discumbere* proprie de multitudine dici tantum potest, quae ad diversos

lectulos discedit, deinde tamen de singulis dicitur. Est verbum mensae accumbere, dein dormiendi causa accumbere, Plaut. Merc. Prol. 100: *Discubitum noctu, ut imus, ecce ad me advenit Mulier, qua muliere alia nullast pulcrior.* — *discutere* significat in omnes partes concutere, huc illuc iacere, disicere. Luc. Sat. IX, 75: *arripio et rostrum labeasque huic zopyriatim Percutio dentesque advorsos discutio omnis.* Dein verbum similem in sensum transit, quam scrutandi et explorandi causa aliquid concutere: Publ. Syr. Sent. App. 291: *Discute quod audis omne, quod credis proba.* — *disertus.* originem vocabuli cognoscere iam supra studui. Exstat praeter Terentii Eun. V, 6, 10 apud Publ. Syr. Sent. 684: *Satis disertust, e quo loquitur veritas*; Afran.. 51: *Quod vult diserte pactum, haut dictum;* Plaut. Amph. 578: *Satin hoc plane, satin diserte esse, ere, nunc videor tibi locutus; diserte* est distincte, plane; Plaut. Stich. 241: *Fuit disertim, verum id usu perdidi;* Titin. 150: *„Habui recte (me) disertim“;* Attius 350: *Disertim id unum incommodis defit meis.* Librariorum errore saepius — sic Plaut. Stich. 241 CDF *desertum* praebent—, vocabula *disertus* et *desertus* confunduntur. — *disicere* in diversas partes iacere. Caton. Orat. Rel. I, 26: *Item uti ab Thermopuleis atque ex Asia maximos tumultus maturissime disieci atque consedavi; disieci* idem est, ac dissolvi; Enn. trag. 78: *Cui nec arae patriae domi stant, fractae et disiectae iacent;* Attius 348: .... *discidia amantem scindere Turbat vulgum, evitat, moeros disicit.* — *dishiascere* findi. Caton. d. r. r. XII: *Confibulas ligneas, qui arbores conprimat, si dishiascent.* Codices melioris auctoritatis *dishiascent* praebent, deterioris *dehiscent, dehissent.* — *dispalescere.* divulgari, palam fieri. Plaut. Bacch. 1046: *Si plus perdundum sis, perisse satius est Quam illut flagitium vulgo dispalescere.* Hoc uno loco priscorum scriptorum id vocabulum inveni. — *dispandere.* hoc ad verbum inprimis est conferendus Gellius XV, 15: *ab eo, quod est pando, passum veteres dixerunt, non pansum et cum ex praepositione*

expassum, non expansum. Caecilius in Synaristosis (R. 197): *heri vero prospexisse eum se ex tegulis, Haec nuntiasse et flammeum expassum domi. capillo quoque esse mulier passo dicitur 'quasi porrecto et expanso' et passis manibus et velis passis dicimus, quod significat diductis atque distentis. Itaque Plautus in Mil. gl.* (359) *a littera in e mutata per compositi vocabuli morem dispessis dicit pro eo, quod est dispassis: Credo ego istoc exemplo tibi esse pereundum extra portam Dispessis manibus patibulum quom habebis. Quamnam id ob rem?* Codices varias scripturas praebent: A *dispensis,* BCD *dispersis*. sane est legendum *dispessis,* quae forma est pro *dispassis,* haec pro *dispansis. Dispessis* etiam editio princeps praebet. Pacuv. 19 legimus: ... *cervicum Floros dispendite crines.* Ita Ribbeckius verba restituit; Servius habet *disperdite. Dispendite crines* similem vim praebet, quam apud posteriores scriptores verba saepissime usitata: *crines passi.* Alia forma *dispandendi* verbi *dispennere* esse videtur, quam formam Nonius p. 9. testatur: *Dispennere ... tractum a pennis et volatu avium.* Rectius mihi ii fecisse videntur, qui dictum putant verbum pro *dispendere, d* littera in praecedentem litteram nasalem mutata, a *dis* et *pando.* Plaut. Mil. gl. 1407: *Ubi lubet. dispennite hominem divorsum et distennite.* Hominem *dispennere* idem fere esse videtur atque expansis bracchiis hominem alligare, ut se movere amplius non possit. — *dispendium,* a pendendo; verbum *dispendendi* est huc illuc pendere atque ponderare. *dispendium ideo,* inquit Varro, *quod in dispendendo solet minus fieri.* Legimus vocabulum Plaut. Merc. Prol. 30: *Inhaeret aviditas, desidia, iniuria Inopia contumelia et dispendium.* Eadem vi Prol. 51: *dispendio,* Men. 485: *dispendio;* Ter. Eun. 929: *sine dispendio,* Hec. 795: *dispendio.* Adde Enn. Annal. 14. — *dispensare* uno loco legitur. Plaut. Bacch. 972: *Nunc alteris etiam ducentis usus est, capto Ilio Qui dispensentur, ut sit mulsum qui triumphent milites.* Notum est, imperatores Romanos triumphan-

tes pecuniam inter milites dividere esse solitos. — *dispensator* proprie est servus, qui domus urbanae rationes curat et domini pecuniam administrat. Ita primum dispensatores teste Festo dicti sunt, qui aes pensantes expendebant, non adnumerabant. Hinc deducuntur *expensa* sive *dispensata.* Exstat *dispensator* Corp. Inscr. Lat. I, 1044: *„Darius Disp. de suo fac. coer.* — *dispercutere* est percutiendo disicere: Plaut. Cas. IV 5, 18: *Cerebrum dispercutiam, excetra tu: ludibrio pessima adhuc Quae me habuisti;* hoc uno loco verbum legitur. — *disperdere,* in omnes partes perdere. Com. Rom. Fragm. inc. Pall. 12: *qualem demens iste chlamydem disperdit?* Caton. libr. ad. Marc. fil. I, 8: *iurarunt inter se barbaros necare omnis medicina, sed hoc ipsum mercede facient, ut fides iis sit et facile disperdant;* Plaut. Cas. II 3, 32: *Bibe, es, disperde rem. Disperdere* hic vim verbi *dissipandi* praebet. Similiter Plaut. Trin. 344: *disperdidit;* Titin. 16: *disperdit.* — Passivum verbi est *disperire* i. e. in omnes partes, funditus perire. Saepius videmus verbum cum adverbio *male* coniunctum. Plaut. Poen. 844: *Sed ad postremum nihil apparet: male partum male disperit.* Sed ceteras verbi usitatissimi formas, quoniam usus per se planus est, versuum numeris tantum ascriptis afferam: Plaut. Stich. 753: *dispereo,* Poen. 908: *disperibit,* Most. 375: *disperisti,* Mil. gl. 163: *disperistis.* Saepissime autem *disperii* formam, quae est exclamatio desperantis, ut *perii, interii, actum est de me* invenimus. Plaut. Cas. V, 3, 2, Cist. IV, 2, 2, IV, 2, 47, Bacch. 1116, Most. 375, 1030, Merc. 599, 681, 709, 607, Aul. 242, Pers. 853, Trin. 1086, 1089; Ter. Heaut. 404, 970, Adelph. 355; Com. Rom. Fragm. Afran. 65, S. Turpil. 179. — *dispergere,* in omnes partes spargere, in diversas partes fundere. Trag. Rom. Fragm. inc. 168: *Puerum interea optruncat membraque articulatim dividit Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia;* eodem sensu Ter. Adelph. 317: *dispergat,* 782: *dispergam.* — *dispertire* a nonnullis etiam *dispartire* scribitur,

quam scribendi rationem uno loco (Afran. 2 *dispartiantur)* inveni; aliis locis *dispertire* exstat. *Dispertire* prisci dixerunt, apud posteriores passivum *dispertiri* est usitatius. Idem est verbum atque huc illuc partes dare, in diversas partes dividere. Plaut. Amph. 220: *Postquam utrimque exitumst maxuma copia Dispertiti viri, dispertiti ordines.* Eandem vim praebent: *dispertisse* Plaut. Mil. gl. 730, *dispertirem* Aul. 282, *dispertivisti* 331, *dispertirier* Pseud. 441, *dispertimini* Curc. 189; *dispertiam* Nov. 15; *dispertit* Caton. Fragm. Orig. lib. III, 1; *dispertieram* Orat. Rel. I, 21. — *disponere* res plures diversis locis ordine ponere. Caton. d. r. r. XLVII: *harundinem sic serito; ternos pedes oculos disponito;* Corp. Inscr. Lat. I, 577, 2: *Inasserato asseribus abiegnieis sectilibus crasseis quoque versus disponito ni plus dodrantem.* — *dispulverare,* in pulverem redigere, dissolvere. Naev. com. 57: *Saxa, silvas, lapides, montes dissicis, dispulveras.* — *disputare* i. e. hinc et inde putare, ex utraque parte disserere, dein dicendo cum alio certare, sermonem habere de alique re. Plaut. Aul. 529: *Ubi disputatast ratio cum argentario;* hic prima ac propria vis verbo inest: *disputatast* est *liquida facta,* ut nihil confusum sit. Vi *disserendi* exstat Ter. Andr. Prol. 15: *Id isti vituperant factum atque in eo disputant; disputem* Plaut. Men. Prol. 50, *disputavi* Most. 88, *disputa* 1137, Rud. 718. — *dissicere* verbum alii docti viri aliter interpretati sunt. Expedivit rem Ribbeckius [1]) cui plane assentior. Liceat hoc loco verba eius breviter afferre: *neque enim adsentior Fleckeiseno, qui in anall. philoll. 1863 p. 199 adn. olim prolatam satisque refutatam opinionem, qua dissicere formam a disiaciendo repetiverunt, resuscitavit et ita firmare studuit, ut duce Lachmanno (Lucr. p. 128) geminatam fuisse consonantem s eo consilio statueret, ut et positione productae syllabae primae mensura et sequentis i singularis quaedam natura indicaretur. adsimula-*

---

1) Com. Rom. Fragm. Coroll. 14.

tionis quidem, non geminationis exempla in verbis compositis sat trita sunt: reccido, redduco, relliquiae (in quibus red praepositio latet) quibus addenda affero, aggero sescenta alia. sed inaudita talia abbicio, addicio, innicio et similia, in quibus non praepositionis consonantem, sed verbi vocalem i a quibusdam geminatam fuisse constat. quorum exemplo disiicio scribendum erat, non dissicio. nec non disertis veterum praeceptis verbi dissicere origo plane diversa indicatur. nam Priscianus p. 1002 (quo ipso loco perperam usus est Fleckeisenus) cum in his 'dis praeponitur, quando sequitur c vel f vel p vel s vel t vel i loco consonantis, ut discumbo, discutio, differo .... displiceo, disputo, disperdo, dissicio, dissero, distraho, disturbo, distorqueo, disiectus, disiungo' composuerit cum dissero verbo dissicio, separaverit a disiectus participio, omnibus autem exemplis ipsius verbi simplicis consonantem initialem servaverit, incipere compositi dissicio verbum simplex consonante s haud ambigue declaravit. ergo rectissime in glossario A. Mai (auct. cl. VIII, 178) explicatur: dissicere, sat plane etiam in Parisino Hildebrandi p. 112 dissice separa, divide, minus bene in Bernensi C n. 224 dissice disperge. neque enim defuerunt inter veteres litteratores, qui dissicere et disicere confunderent, quia scilicet a secando factum dissecare verbum extitit. secere autem non magis mirum esse, quam sonere, tonere, lavere alia multa, olim C. L. Schneiderus grammat. element. II, 549 sanissimo iudicio perspexit. et ab hac potissimum verbi forma putaverim orta esse insicia vel isicia et prosiciem extorum.
Singulos locos priscorum scriptorum, quibus *dissicere* exstat, perscrutemur: Plaut. Curc. 424: *Clypeatus elephantum ubi machaeram dissicit,* ubi sane est *dissecat* intelligendum; Caec. 239: *dide ac dissice Per me licebit,* de quo loco dubitari posse videtur: nam ubi de adulescentium luxuria agitur, ibi *disiciendi* vis aptior esse videtur. Naev. 57: *Saxa, silvas, lapides, montes disicis, dispulveras;* etiam hoc loco verbum *disicis* vi verbi *dissipandi* optimum praebet sensum. Aliis locis scriptorum priscorum hoc

verbum non inveni. — *Dissentire.* Pacuv. 73: *concentare ac dissentire parti ac da rursum aequiter.* — *dissipare* a *dis* et a vocabulo obsoleto *supo* vel *sipo* quod teste Festo *iacere* significat, unde *dissipare* disicere, dein dispergere, disturbare. Vocabulum *sipo* etiam invenimus in *obsipare* verbo, quod Plaut. Cist. II 3, 37: *Avecta est, inquit, peregre hinc habitatum. Obsipat Aquulam* legimus. Sane sensu verbi *obiciendi* usurpatur. Verbum *dissipandi* habet Attius 587: *ne horum dividiae, discordiae Dissipent, disturbent tantas et tam opimas civium Divitias;* Caec. 205: *Percutias pavidum, postremo a parco patre Quod sumas quanto dissipes libentius.* Aliquoties etiam formam *dissupare* legimus, sic apud Ennium trag. 105: *alia fluctus differt, dissupat Visceratim membra, maria salso spumant sanguine;* inc. fab. 169: *Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia Ut, dum nati dissupatos artus captaret parens.* — *dissociare* i. e. a societate disiungere. Luc. Sat. XXIX, 65: ..... *dissociata aeque omnia ac nefantia.* — *dissolvere* est disiungere, quod ligatum aut coniunctum erat. Corp. Inscr. Lat. I, 542: *tua pace rogans te cogendei dissolvendei tu ut facilia faxseis;* Publ. Syr. Sent. 706: *Dissolvit legem misericors cum iudicat.* Eundem fere sensum atque argumento respondere eiusque vim infirmare praebet verbum Ter. Phor. 655: *Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler Aliquantulum quae adferret, qui dissolverem, Quae debeo;* deinde est expedire Ter. Heaut. 508: *Dissolvi me, otiosus operam ut tibi darem;* Plaut. Merc. 166: *Obsecro, dissolve iam me: nimis diu animi pendeo;* Poen. 148: *Si auctoritatem postea defugeris Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.* — *dissuere* est discindere, quod consutum est. Uno loco exstat apud Catonis Mem. dict. 70: *tales igitur amicitiae sunt remissione usus diluendae et ut Catonem dicere audivi, dissuendae magis, quam discindendae.* — *distabescere,* in omnes partes tabescere. Caton. d. r. r. XXIV: .... *eum in fiscella suspendito sinitoque cum musto distabescat.* — *distendere,* in diversas partes ten-

dere. Plaut. Mil. gl. 1407: *Ubi lubet. dispennite hominem divorsum et distennite* (iam Meursius scribendum esse censet *distennite,* non *distendite,* primum quod Donatus ad Ter. Phor. 330: *Qui istuc? Quia non rete accipitri tennitur neque miluo* vocabulum tennitur testetur, dein, quod poeta sermonem vulgarem esse imitatus videatur); Cas. IV 1, 19: *Cupiunt extrudere incenem ex aedibus, Ut ipsae solae ventres distendant suos* (hoc loco verbo similis vis ac verbo implendi inest: tractum est ab utre, qui cum plenus est, ex omni parte tenditur, vacuus vero laxatur et contrahitur); idem fere significat Luc. Sat. XXVI, 60: .... *ut, si eloviem facere per ventrem velis Sudor se omnibus distento corpore expirat viis.* — *disterere,* in diversas partes terere, dein crebro, subtiliter terere. Caton. d. r. r. LXXV: *Casei pondo II bene disterat in mortario. ubi bene distriverit, farinae siligineae libram aut si voles tenerius esse selibram similaginis solum eodem indito, permiscetoque cum caseo bene.* — *Distinere.* Afran. 73: *nunc est distentus animus .. negotiis.* — *distrahere distorquere* proprie est in diversas partes trahere, discerpere, dein dirimere, dissolvere. Plaut. Curc. 236: *Lien enecat, renes dolent, Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur*; Pacuv. 159: *Nam te in tenebrica saepe lacerabo fame Clausum et fatigans artus torto distraham;* Plaut. Trin. 833 ... *nam apsque foret te, sat scio in alto Distraxissent disque tulissent satellites tui miserum foede;* 617: *O ere Charmides, quom apsenti hic tua res distrahitur tibi;* Ter. Phor. 518: *Tum praeterea horunc amorem distrahi poterin pati?* Dein verbum in vim verborum disiungendi, separandi transit Ter. Hec. 492: *Quandoquidem illam a me distrahit necessitas;* Phor. 201: *Quod si eo meae fortunae redeunt, Phanium Abs te ut distrahar, Nullast mihi vita expetenda.* Denique verbum ad animum transfertur: etenim *distrahi* animus dicitur, vel cum in quam partem decernat, non videt, vel cum diversis studiis distinetur. Plaut. Merc. 470: *Pentheum diripuisse aiunt Bacchas: nugas maxumas Fuisse credo, prae ut quo*

pacto ego divorsus distrahor; Cist. II 1, 5: *Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem Animi habeo. ubi sum, ibi non sum, ubi non sum, ibi est animus.* — *distractio.* Plaut. Pseud. 70: *Harum mihi voluptatum omnium atque itidem tibi Distractio, discidium, vastities venit.* — *distribuere*, diversis hominibus vel diversis modis tribuere. Ter. Adelph. 371: *Dedit praeterea in sumptum dimidium minae: Id distributum sane est ex sententia. Hem.* — *distruncare,* in partes dissecare. Plaut. Truc. 614: *Tange modo: iam hic ego ted agnum faciam et medium distruncabo.* — *disturbare,* disicere, evertere. Plaut. Pseud. 550: *At nunc disturba, quas statuisti, machinas.* Translate *disturba* usurpatur; significat, consilia fraudulenta abicere. Ter. Andr. 182: *Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias,* ubi idem valet verbum atque impedire, prohibere. — *divaricare,* in hanc vel illam partem distendere. Caton. d. r. r. XXXII, e: *Arbores hoc modo putentur, rami ut divaricentur, quos relinques et uti recte caedantur et ne nimium crebri relinquantur. Dictum est,* inquit Nonius, *ab his, qui vitio naturae ita sunt pedibus discretis, ut eos in diversum habeant separatos*); XLV, 3: *Si in scrobibus aut in sulcis seres, ternas taleas ponito, easque divaricato;* id est in diversum dirigito. — *divexare,* huc illuc vexare, vehere, varie vexare personam vel rem. Pacuv. 201: *Neu reliquias quaeso mias sereis denudatis ossibus, Per terram sanie delibutas foede divexarier;* Plaut. Pers. 780: *Ita me Toxilus perfabricavit itaque meam rem divexavit.* — *dividere.* verbum est compositum a *di* et *vid.* Proprie idem est ac diversas in partes secare, partiri. Plaut. Stich. 701: *Atque adeo, ut tu scire possis, pacto ego tecum hoc divido;* eodem sensu usurpatur *dividam* Plaut. Aul. 767: *dividant* Poen. 775; *divide* Rud. 1011; *dividetur* Mil. gl. 866; *dividere* Amph. 1125, *divisa* Ter. Andr. 476; *divisum* Pompon. 136; *dividam* 180; *dividat* Caton. d. r. r. CXXXVI; XIX, XXIX: *dividito;* in lege agraria (C. I. L. I, 200, 6) *divideretur;* in lege Rubria

(I, 205,2, 55) *deividunda.* Dein transit verbum *dividendi* in significationem verborum distrahendi, divellendi apud Attium 534: *Unde ignis cluet mortalibus clam Divisus;* dein in vim verbi *diffindendi* Trag. Rom. Fragm. inc. fab. 167: *Puerum interea optruncat membraque articulatim dividit;* dein verbi dignoscendi, distinguendi Luc. Sat. XVI, 4: *legavit quidam uxori mundum omne penumque. Atquei quid mundum, quid non? quis dividet istuc;* dein verbi distribuendi Plaut. Aul. 108: *Nam noster nostrae quist magister curiae dividere argentum oportuit;* Pers. 757: *dividam*; Caton. d. r. r. XXIII, 2: *dividito,* LXX, 2: *dividito;* Orat. Rel. II, 12: *divisi,* Epist. inc. libr. VI: *divisa.* Denique verbum *dividendi* etiam obscenum sensum capit Plaut. Aul. 283, 286: *Me quidem hercle hic hodie tam palam non divides. Pol si quis vellet ted, haud nolles dividi.* — *dividia.* certe a verbo dividendi vocabulum est ductum. Apud Nonium (101, 19) legimus: *dividia est taedium. dividiae ut dissensiones.* Festus docet: *vocabulum discordiam significare;* Varro d. l. l. VII, 60: *dividia ab dividendo dicta, quod divisio distractio est doloris.* Plerique viri docti hanc esse propriam vim vocabuli censent: dissensionem et discordiam, quia omnis dolor et taedium dissensio quaedam et discordia animi est a re molesta refugientis. Sane omnibus locis quibus exstat vocabulum dissensionem vel discordiam cum animi tum animorum civium significat. Notandum est, vocabulum tantum apud priscos exstare, apud posteriores non inveniri. Exstat vi supra memorata Att. 587: *ne horum dividiae, discordiae Dissipent, disturbent tantas et tam opimas civium Divitias;* 152: *Huius me dividia cogit plus quam est par loqui;* Naev. Com. 48: *dividiaest;* S. Turpil. 59: *sperabam consilia nostra dividiae tibi, cum aetas accesses, non fore;* Plaut. Bacch. 770: *Nimio illaec res est magnae* (?) *dividiae mihi Supterfugisse sic mihi hodie Chrysalum,* 1033: *Cave tibi ducenti nummi dividiae fuant,* Merc. 61: *Non tibi istuc magis dividiae est quam mihi hodie fuit;* Stich. 19: *Haec*

mihi dividiae et senio sunt, Cas. II 2, 11: *Aegre idem mihi est dividiae. credo ecastor;* Truc. 856: *Nam mihi dividiaest tonstricem meam sic malitiam male Exstinxe et meum Dinarchi puerum inventum filium.* — *dividus* idem est ac divisus. Lachmannus Lucr. p. 306 quo loco verba facit de *reliquus, consequus, deliquus* adiectivis demonstrat, eiusmodi adiectiva a bonis scriptoribus syllabis divisis esse prolata. eidem regulae subiacere *ingenuus, ambiguus* alia, discrepare, in quibus incorrupta sit media simplicis syllaba cum vocali sua praeter e, *congradus* .... *dividus,* sed *confragus* a frangendo non esse antiquum, non recte factum; non pertinere autem huc, quae sine praepositione non minus integrae maneant, *subcavus* .... quo *dividuus* referendum esse, quod plerique ita dixerunt, scilicet a viduo similiter deductum, ut dimidium a medio. Legimus *dividus* uno tantum loco apud Attium 117: *Nosque ut seorsum dividos leto offeres.* Nonius p. 95, 24: *dividos, id est separatos.* — *dividuus.* primum vocabulum id significat, quod dividi potest, dein idem est ac divisus. Plaut. Rud. 1408: *Dividuum talentum faciam;* Ter. Adelph. 241: *Potius quam venies in periclum, Sannio Servesne an perdas totum, dividuom face.*

§ 3. Transeamus ad tractanda ea verba, quibus inest vis quaedam separandi vel segregandi. Quae vis ut a priore illa ducta est ita etiam his in verbis principalis fuit: sed usu factum est, ut principalis vis magis obscuraretur. Sic in eo verbo, a quo initium fiat, *diiungo* (pro quo et *disiungo* dici supra monui). Mil. gl. 1327: *quom ego servus quando aspicio hunc, lacrumem, quia diiungimur;* ubi principalis vis conspicua est. Obscuratur illa Ter. Hec. 160: *atque ea res ... Diiunxit illum ab illa.* Cf. quae de *differe* et *distrahere* dixi. Idem de *discedendo* dicendum. Proprie est in *diversas partes ire:* dein vim separativam habet his locis: Ter. Andr. 148: *Ita tum discedo ab illo.* Plaut. Asin. 603: *ab ista non pedem discedat:* 251: *iam diust factum quom discesti ab ero.* — *dis-*

crepare, diverso modo crepare, translate: non convenire, discordare, dissimilem esse. Luc. Sat. VI, 40: ut *φύγε discrepat ac τὸν δὲ ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων.* Att. 48: *Quae cum componas, dicta factis discrepant.* — *discrimen*: a verbo discernendi, quod res una ab alia discernitur. In glossis Placidi legimus: *discrimen aliquando duarum rerum separationem ostendit, quae coniunctae esse possunt* ... Uno tantum loco hoc vocabulum inveni. Luc. Sat. XXIX, 8: *et amabat omnes. nam discrimen non facit quei signat linia alba.* Hunc ad locum Nonius (282, 17) adnotat: *discrimen rursum separatio a discernendo.* — *disparare* idem fere valet, ac separare, seiungere. Plaut. Rud. Prol. 10: *Quist imperator divom atque hominum Iuppiter, Is nos per gentis alium alia disparat.* Cf. *dispar.* — *distinguere.* Alii verbum derivari volunt a *tingo* vel antiquo *tinguo,* ut proprie sit tingendo et colorando discriminare, alii a *stingo* (stig, a quo etiam stimulus) graece *στίζω,* pungo, ut sit proprie dispungere, h. e. punctis rem a re discriminare. hoc sane verum est. Conferenda sunt verba Velii Longi[56]: *voces, in quibus u littera videtur sese supervacua: ut cum et scribimus et pronuntiamus arguere: siquidem et urgeo et ungo hanc non desiderant litteram, ut apparet ex scriptis antiquorum, quorum elegantiam et auctoritatem sequendam supra diximus. nonnulli inventi sunt, qui distinguere quoque sine u littera scribere et dicere maluerunt, adicientes illam rationem, quod distinguere est interposito puncto dividere atque diducere. nec non quidam hoc ipsum distinguere arbitrantur dictum παρὰ τῷ τέλει, sive quod distinguatur res illa, quae scribitur, sive quod tingat id quod inscribitur. tamen in hac voce sic u litteram occupavit consuetudo, ut non facile possit avelli.* Apud Plautum atque Terentium verbum me legere non memini; apud alios priscos scriptores exstat: Pacuv. 61: *Habeo ego istam, qui distinguam inter vos geminitudinem.* Acc.

---

56) Keil, G. L. VII.

Didasc. IX, 1: *nam quam varia sint genera poematorum, Baebi quamquam longe distincta alia ab aliis, sis, nosce.* duobus locis verbum eundem fere sensum praebet, quem verbum secernendi. — *diversus,* in aliam partem versus. Luc. Sat. XV, 16: *hunc millei passum qui vicerit atque duobus Campanus sonipes succursor nullu' sequetur Maiore spatio ac diversu' videbitur ire* (diversus ire significat: illi non comes ire); Caton. Fragm. Orat. Rel. V, 1: *Maiores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis decurionatus, optionatus, hastas donaticas aliosque honores.* In diversas partes, huc illuc versus vocabulum est Plaut. Merc. 471: *Fuisse credo, prae ut quo pacto ego divorsus distrahor.* eadem vi exstat *divorsum* Plaut. Mil. gl. 1047; *divorsi* Rud. 1252; *divorse* Trin. 409; *divorsae* Truc. 787; Ter. Andr. 260; *divorsi* Trag. Rom. Fragm. Pacuv. 224. — *divortium.* proprie divortia sunt flexus viarum, hoc est, ubi via in aliam partem tenditur;[57]) dein est locus, ubi aqua in aliam partem diffluit; sic. Luc. Sat. VIII, 18: *verum flumen uti acque ipso divortio aquae sunt iligneis pedibus cercyrum conferet aequis.* dein vocabulum saepissime translate usurpatur de *discessione,* inprimis de discessione coniugum et dissolutione matrimonii. Plaut. Mil. gl. 1167: *Hinc senem abs te abisse, postquam feceris divortium;* Aul. 233: *Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divorti fuat* (cod. B D I *devorti* praebent); Stich. 203: *Uxorin sit reddenda dos divortio*; Truc. 420: *Habebo ab illo, facile invenio, quo modo Discordiam et divortium inter nos parem;* Caton. Fragm. Orat. Rel. LXVIII, 1: *Vir cum divortium fecit, mulieri index pro censore est, imperium quod videtur habet;* Nov. 89: *Postquam se vidit esse heredem, desubito divortium Fecerunt.*

Iam ad vim augendi transeamus. Hanc vim e vi divisionis esse ducendam atque in iis tantum verbis posse inveniri, quae affectum quendam indicent, iam supra exposui.

57) Gromatici veteres, rec Lachm. 370, 24.

Hanc dicendi consuetudinem docent verba: *discruciare* h. e. ita cruciare ut corpus differri videatur vel animus, dein valde cruciare, torquere. Plerumque verbum passive usurpatur et ad animum refertur, sic Plaut. Aul. 105: *Discrucior animi, quia ab domo abeundumst mihi;* Trin. 103: *Haec quom audio in te dici, discrucior miser;* eodem sensu legimus: *discrucior* Plaut. Bacch. 435, Cas. II 3, 58, Poen. 368; Terent. Adelph. 610: *se discruciare* exstat apud Non. p. 572. Plaut. Fragm.: *Quid murmurillas tecum et te discrucias?* — *discupere* idem esse, atque valde cupere, intellegimus ex Plaut. Trin. 931: *Lubet audire, nisi molestumst. Quin discupio dicere.* — *dispudet,* valde pudet. Plaut. Bacch. 481: *Nam alia memorare quae illum facere vidi, dispudet;* Most. 1166: *Si hoc pudet fecisse sumptum, supplicii habeo satis. Dispudet. Si istam das veniam, quid me fiet nunc iam?* Ter. Enn. 832: *Scelesta, ovem lupo commisti. dispudet Sic mihi data esse. quid illut hominis est?* — *distaedet,* valde taedet. Iam in Charisii Arte grammatica [59]) legimus: *dis pro valde in dispudet, distaedet.* Taedium vel pudor in omnes corporis partes penitus penetrare videtur. Plaut. Amph. 503: *Abeas? Edepol haud quod tui me neque domi distaedeat?* Ter. Phor. 1011: *Demipho, te appello: nam cum hoc ipso distaedet loqui.* Verbum *discupiendi* et verba impersonalia *dispudet, distaedet* sola apud priscos scriptores videntur exstare. — *distorquere,* in diversas partes, valde torquere. Ter. Enn. 670: *Illut vide, os ut sibi distorsit carnufex.* — Hoc loco etiam de *discavendi* verbo paucis agendum. legitur Plaut. Men. 249 ex ed R.: *Dictum facessas doctum et discaveas malo.* Codices varias scripturas praebent: B *edis caveas,* C *ediscaveas,* F *et discaveas; et discaveas* etiam Camerarius atque eum sequentes recentiores editores in contextum receperunt. Ego verbum *discavendi* reicendum puto. Primum vocabulum aliis locis non invenitur, dein non est

59) Gr. L. K. I, 198.

traditum, sed per coniecturam in contextum receptum; denique affectus quidam, quem omnia eiusmodi verba, ut memoravi, indicant, frustra quaeritur. His ex causis verbum *discavendi* reiciam atque repudiem. Conicio sic esse scribendum: *et sis caveas malo.* Haec scribendi ratio codice B probari mihi videtur: *et sis* facillime ortum esse potest ex *edis.* sensus est: noli mihi argutari et cave si placet malo. *sis* h. e. si vis saepissime cum verbo cavendi coniunctum esse docent Plaut. Amph. 845: *Amphitruo's profecto: cave sis ne tu te usu perduis;* Ter. Enn. 799: *Cave sis: nescis cui male dicas nunc viro. non tu hinc abis?* et permulti alii loci. *sis,* quod plerumque postponi solet, interdum etiam verbo praeponi intellegimus ex Plaut. Amph. 286: *modo sis veni huc,* et Aul. 46: *illuc sis vide.*

Accedamus ad ultimam significationem praepositionis, ad vim minuendi vel negandi, quam ex exemplis optime perspicimus. — *difficilis.* satis est notum, qua ratione vocabulum sit compositum, qualisque sit vis adiectivo. Propterea tantum locos, quibus vocabulum exstat, breviter afferre praestat. Legimus *difficilis* Plaut. Trin. 646; Ter. Heaut. 805; Com. Rom. Fragm. Afran. 252; Publ. Syr. Sent. 203; *difficile* vel *difficilest* Plaut. Trin. 620; Ter. Andr. 211, 381, Eun. 209, 1056, Heaut. 675; Com. Rom. Fragm. Pall. inc. 38; Publ. Syr. Sent. 145, 415; *difficilem* Ter. Heaut. 535; Publ. Syr. Sent. 133; *difficili* Publ. Syr. Sent. 630; *difficiles* Luc. Sat. VII, 31; Publ. Syr. Sent. 446; *difficilia* Publ. Syr. Sent. 188; *difficilius* Caton. d. r. r. CXXII; *difficillimum,* Publ. Syr. Sent. App. 192. — *difficultas.* Plaut. Epid. 287; Ter. Hec. 666. — *diffidere;* verbo contrariam vim ac verbis *fidendi* et *confidendi* inesse, his ex locis intellegimus: Plaut. Rud. Prol. 82: *Valete ut hostes vostri diffidant sibi;* Epid. 112: *Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis;* Merc. 856: *Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facies Eundem ex confidente actutum diffidentem denuo:* Caton. d. r. r. *CLVII,* 13:

Quos diffidas sanos facere, facies; Corp. Inscr. Lat. I, 1175: *Quod re sua difeidens, aspere afleicta.* — *disconducit.* significare verbum id quod contrarium sit notioni conducendi, i. e. nocere, nos docet versus ille Plautinus Trin. 930: *Set nil disconducit huic rei. quid ais? quid iam? hoc te rogo.* — *dispar,* non par. Pompon, 136: ..... *calve, adportas nuntium Nobis disparem divisum: huic seni senium et metum;* eadem vi *dispar* Trag. Rom. Fragm. Attius 156; *dispari* inc. fab. 184. His fortasse addendus Plaut. Amph. v. 549. — *displicere,* non placere. Plaut. Men. 670: *Si tibi displiceo, patiundumst: placuero huic Erotio;* eodem sensu *displiceat* Plaut. Mil. gl. 614; *displicebo* Ter. Heaut. 1043; *displicebit* 972, *displicet* Luc. Sat. XXVI, 21; *displicere,* Publ. Syr. Sent. App. 29. — *dissimilis,* non similis, absimilis. Plaut. Men. 1064: *Pol profecto haut est dissimilis meam quom formam noscito;* eadem notione *dissimilis* Luc. Sat. XXVI, 19, Ter. Adelph. 825; *dissimili* 41, Andr. Prol. 10 et 11. — *dissimulare* proprie est dissimilem facere, diligenter celare. simulare est fingere scire, quae nescias, dissimulare fingere nescire, quae scias. Saepissime verbum hac notione apud priscos scriptores legitur. Plaut. Men. 641 .... *O hominem malum, Ut dissimulat. non potes celare: rem novit probe; dissimulas* Ter. Hec. 578; *dissimulat,* Plaut. Men. 608, Poen. Prol. 112, Merc. 971, Ter. Phor. 429, Publ. Syr. Sent. 510; *dissimulabam* Plaut. Epid. 238; *dissimulabat* Plaut. Mil. gl. 462; *dissimulant* Cas. IV, 1, 13; *dissimulabo* Mil. gl. 992, Most. 1071; *dissimulavero* Mil. gl. 260; *dissimulando* Most. 1015; *dissimulare* Ter. Hec. 552, Publ. Syr. Sent. App. 301; *dissimulatum* Ter. Andr. 132. — *dissuadere.* Plaut. Cist. II, 1, 10: *Modo quod suasit, dissuadet; quod dissuasit, id ostentat;* Asin. 931: *Non taces? Ego dissuadebam, mater;* Trin. 670: *Minus placet, quod consuadetur: quod dissuadetur placet.*

§ 4. Ex verbis a *di* vel *dis* incipientibus consulto exclusimus multas, quas inter se commutatas esse in libris cog-

novi. De his nunc agendum est. *Diducere,* in diversas partes ducere. Cat. de r. r. CLV 1: *cum pluere incipiet, familiam cum ferreis sarculisque exire oportet, incilia aperire, aquam diducere in vias et segetem curare oportet uti fluet.* Pro scriptura *deducere* quae est apud Schneiderum recte Keilius cum bonis libris *diducere* reposuit: aqua in diversas partes fluit. Contra Ter. Eun. 315 *(siquae est habitior paullo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum)* improbanda est Bembini scriptura *diducunt: diducere cibum* quid sit ex Celsi scriptis discas. *Diductius* habet Lucilius. — *diffatigo* plus est quam defatigo. Plaut. Epid. 118: *Quin edepol egomet clàmore diffatigo, differor. Diffatigor, differor* Gulielmius; *differor diffatigor* B I; *differor defatigor* E F. Traiectionem postulat versus, *diffatigor* tutatur alliteratio. — *diffringo.* Iuventius 7: *caput ei testatim diffregero. Deffregero* Charisii codex, unde *defregero* Putschius. Illud verum esse *testatim* nobis persuadet. Titin 31: *patibulo hoc ei caput diffringam.* Ita Ribbeckius; *defringam* libri. Plaut. Asin. 474: *Crura hercle diffringentur,* ubi hanc scripturam libri omnes testantur. *Defringentur* Acidalius. Stich. 191: *Ei hercle verbo lumbos diffractos velim. Diffractos* Ribbeckius; *defractos* libri cum A. Mil. gl. 156: *Ni hercle diffregeritis talos posthac. Diffregeritio* Ribbeckius; *defregeritis* libri cum A. Mil. gl. 722: *Metuam ne ibi diffregisset crura aut cervices sibi. Defregeritis* libri; correxit Ribbeckius. De tota hac quaestione conferendus Ribbeckius coroll. com. p. LVI. — *Digredi.* Afran. 108: *digredimur demum.* Ter. Phorm. 722: *nos nostro officio non digressos esse (digressos* B D[1] G; *degressos D[2]),* ubi *digressos* propter Ciceronis et aliorum usum praefero; per se utrumque defendi potest. — *deludere.* Plaut. Amph. 980: *Volo deludi illum.* Ita I F; *diludi* B D E. *Diludi* plus esset quam *deludi* et defendi possit ut *diffatigo.* Sed improbabile est hoc uno loco illam formam esse scribendam, cum nullo adminiculo fulciatur.

Iisdem de causis etiam Terentii Eun. 1087 forma *diridendum* quam A habet reicienda est. — *diluere.* Pseud. 816: *Eo lasarpici libram pondo diluont.* Cato de r. r. CXV: *Laserpecium aceto diluito.* CLVII: *si turundam non recipiet, diluito* ... ibidem: *vinum dilutum.* Pl. Rud. 1108: *abstine maledictis et mi quod rogavi dilue.* Caton. fragm. Mem. dict. 70: *amicitiae sunt remissione usus diluendae.* De his nulla est controversia. Cato d. r. r. LXIX: *postea amurcam eximito et arfacito, ubi arebit, cumenim pridie in aquam infundito, eam postridie diluito.* Recte *diluito* Keilius, quamvis in optimis libris sit *deluito.* — *diminuere.* Oudendorpius ad Sueton. Caes. 5: *'deminuitur'*, inquit, *'id quod decrescit sive minus fit quam fuerat, ideo quod eius pars sive perit sive adimitur. diminuitur id quod contunditur, confringitur et attenuatur aut dissipatur in miniutiores partes, sicut bona, opes vectigalia possunt deminui iis qui detrahendo, diminui dilapidando dissipando vel herciscundo.'* Plaut. Most. 266: *Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo diminuam caput;* Men. 304: *quom nihil est qui illic homini diminuam caput.* Ter. Eun. 803: *Diminuam ego tibi caput hodie.* Ad. 571: *Diminuetur tibi quidem iam cerebrum. Deminuetur* B[1]C; cerebrum *deminui* vix potuit. Contra *deminuere* est apud Plautum Aul. 165: *Nunc ego istum soror laborem demam et deminuam tibi,* ubi *diminuam* J E[3]. Truc. 561: *Nam damnum hoc obsoni de mina una deminui modo* (ita Schoellius). — *Dimittere.* Beda Gr. l. VII 269: *dimittere est derelinquere; demittere deorsum mittere.* Caper Gr. l. VII 27: *demitte est deorsum mitte. dimitte ἀπόλυσον, absolve. dismitte non dicas.* Ter. Eun. 814: *Iam dimitto exercitum.* Enn. trag. 353: *quos ego ... dimitto.* Afran. 181: *Dimittit adsestricem.* Caec. 80: *quos neque ut apprendas neque uti dimittas scias.* Plaut. Rud. 1279: *Perii, dilectum dimisit.* 791: *si te non ludos pessimos dimisero.* C.I.L. I 198: *Neive iudicium dimittere iubeto.* Publ. Syr. 87:

cavendi nullast dimittenda occasio. 459: *Pudor dimissus numquam redit in gratiam.* 138: *Dimissum quod nescitur non amittitur.* De his nulla dubitatio. Cato de re r. XLV: *taleam demittes;* ubi *dimittas* Ab. LXXXI: *dimittito in aulam aeneam,* ubi *dimittito* Ac. LXXXVIII: *ovum demittito,* ubi *dimittito* Ac. CLVI, 2: *demittito unum manipulum,* ubi *dimittito* Pbc. CLXVII 10: *hominem demititto,* ubi *dimittito* A. Fragm. Orig. lib. IV 10: *post dimissum bellum.* Fragm. orat. rel. LXXIII: *ubi ii dimissi sunt.* — *Dimovere.* Adelph. 170: *Cave nunciam oculos a meis oculis demoveas tuos; demoveas* D F, *dimoveas* E. Hoc si legimus *dimovere* separandi vim habet. Res a codicibus pendet. *Dismota* (S. C. de Bacch. C. I. L. I 196, 30) principalem vim habet. — *Dinumerare.* Plaut. Mil. gl. 74: *hibus dinumerem stipendium (dinumerem* Bc, *denumerem* vel *denumerent* Ba CD, *dinumerem* Donatus); Epid. 71: *quam id argentum ... pro illa dinumeraverit* (ita omnes libri); Epid. 367: *meis manibus dinumeravi (din. J; denum.* BE); Ter. Ad. 915: *dinumeret ... viginti minas* (ita libri omnes); Plaut. Epid. 468: *si sexaginta mihi denumerantur minae (dinumerantur* F, idem vel *den.* A, *den.* BJE); Asin. 453: *verum istuc argentum tamen mihi si vis denumerare* (ita omnes libri); Epid. 353: *manibus his dinumeravi* (quem versum spurium esse editores affirmant). Praeter primum locum et Ad. 915 ubique *denumerare* scribendum [1]) puto, quamvis audacter iudicare non audam. — *Diripere.* Plaut. Merc. 469: *Pentheum diripuisse aiunt Bacchas: nugas maximas Fuisse credo prae ut quo pacto ego divorsus distrahor:* Cist. II 1, 5: *diripior,* quod ad animum refertur. Poen. 646: *diripundum adducimus.* Caton. Orat. Rel. II 9: *diriperent.* Quibus locis de *diripiendo* agitur, non de *deripiendo.* Plaut. Aulul. 748: *Luci claro deripiamus aurum matronis palam,* ubi


1) Eadem forma recte exstat Rud. v. 1406 teste Pareo; Fleckeisenus edidit *dinumeravi.*

DF *diripiamus* et Nonius *disripiamus*. Sed de detrahendis ornamentis cum agatur, *deripiamus* verum est. Plaut. Rud. 784: *de ara capillo iam deripiam.* — *Discribere.* C. I. L. I. 200, 70: *quod eius pecuniae discriptum, adsignatumque tabuleis publiceis est.* I. 198: *quei ex hac lege in eum annum CDL vireis lectei erunt, ea nomina omnia in tabula in albo atramento scriptos patrem tribum cognomen tributimque discriptos habeto.* De significatione conferenda quae Buechelerus Mus. Rhen. vol XIV p. 598 exposuit: *'Multum inter se distant longeque sunt diversa, quoniam describere dicitur, qui exscribit aliquid aut formam cuiusdam rei adumbrat, discribere autem qui totam rem in singulas partes scribendo aliquid distribuit'.* Ter. Phorm. 923: *Argentum rursum iube rescribi, Phormio. Quodne ego discripsi porro illis quibus debeo (descripsi* D, *perscripsi* BCP). Donatus: *multis per scripturam reddidi, multis dedi.* Lucil. X 6: *honorumst Iudicium Crassis, sicut discripsimus ante,* ubi *descripsimus* Dousa, fortasse recte. — *Dispicere.* Plaut. Cist. IV, 2, 25: *ad terram aspice et dispice.* Pers. 268: *Virtust ubi occasio admonet dispicere.* Ter. Andr. 622: *iam aliquid dispiciam* (ubi *despiciam* C[1] praeter sensum). — *Dispoliare.* Turpil. 149: quibus *rem rebus dispoliasti,* ubi *dispoliasti* Nonii codex Harleianus, *dispoliati* Parisinus, *dispoliare* Palatinus, *despoliasti* ceteri. *Dispoliare* est hoc loco *dissipare.* Laber. 39: *cum provincias Dispoliavit, columnas monolitas ...* , ubi libri consentiunt. Afran. 42: *quos impune depopulatur dispoliatur dedecus. Dispolatur* libri Nonii, *despoliatur Ribbeckius,* quod propter *de ... de* praeferendum. Epid. 393 [1]) de *dispoliendo* intellego. — *Dissignare.* Sano iudicio Nettleship (Journal of Phil. X 20 p. 206) de hoc vocabulo egit demonstravitque, eum qui ludis et scenicis et funebribus praefuerit non *designatorem* vocari,

1) Bacch. 376 Nonius p. 75 *dispoliabula* habet, unde *despoliabula* Dousa. Nisi librorum scriptura *(desidiabula)* praeferenda esset, etiam *dispoliabula* possit defendi.


sed *dissignatorem.* Poen. prol. 19: *neu dissignator praeter os obambulet (designator* solus C); non recte Donatum dicere, hos esse *designatores. Designare* et *dissignare* non idem esse; hoc significare disponere, digerere, illud constituere, destinare. Mostell. 413: *quae dissignata sint et facta nequiter. Dissignata* est *divulgata.* Ibi *dissignata* habent Ba F, *dissignita* Bb CD; *designata* Z. Itidem defendit ille Ter. Adelph. 87: *modo quid dissignavit? Dissignavit* BCDFGPV; *designavit* E, schol. F cum A. Cf. Dziatzko ad Adelph. 87 et Kellerus Epil. ad Hor. ep. I 5, 16. Most. 1113 idem coniectura scripsit Salmasius. — *Distringere* et *destringere,* quod Truc. 957 commutatum esse videatur, Schoellius coniectura removit. — *Divortere.* 1. Plaut. Men. 264: *Quia nemo ferme sine damno huc divortitur (devortitur* C; *divortitur* reliqui). 2. Men. 634: *Quin ut dudum devorti abs te, redeo nunc demum domum.* 3. Trin. 673: *Insanum malumst hospitium devorti ad Cupidinem* (*divorti* F; *devorti* reliqui). 4. Poen. 673: *Vt devortatur ad me in hospitium optumum.* 5. Ter. Phorm. 312: *Ego deos penates hinc salutatum domum Devortar.* 6. Epid. 403: *divortunt mores virginis mox ac lupae.* De sexto exemplo nec libri discrepant nec docti. In reliquis cum utrumque ferri possit, res a libris pendet, qui fere ubique *devorti* habent, quod etiam Men. 264 praeferendum est. — *Divorsorius.* Plaut. Men. 436: *Abduce istos in tabernam actutum devorsoriam. Devortere* si defendimus, defendemus *deversoriam* (CD), non *diversoriam* (B). — *Diverticulum* est et *hospitium* et teste Donato, *ubi iter de via flectitur,* vel, ut Gromatici testantur, *flexus viae, via in diversa tendens.* Hoc vocabulum modo per *di* modo per *de* scribitur ut apud priscos ita apud recentioris temporis scriptores. Exempla priscae latinitatis haec sunt: Plaut. Captiv. 523: *nec confidentiae usquam hospitiumst nec devorticulum dolis,* ubi BJ *diverticulum,* reliqui *deverticulum;* Laber. 97: *alienum appetonibus Viae sunt perditae et deverticulae (diverticulae* cod. Bamberg. Nonii, *dev.* ceteri libri);

Ter. Eun. 635: *ubi ad ipsum veni diverticulum: constiti (diverticulum* B F, *deverticulum* reliqui). Plauti exemplum ad eorum societatem trahendnm videtur quae modo tractavi; a quibus ne cetera quidem separare audeo. Quamquam concedo, his paucis priscorum scriptorum exemplis rem expediri non posse.



Corrigendum.

P. 28. Errore *distorquere* hoc loco commemoratur, quod verbum altera paragrapho tractandum fuit.


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045909455

